

be repente facta, ferociter in Peregrinos (ita enim ab initio Galli & cæteri Transalpini bellum Asiæ illaturi appellari voluerunt) invecus est. Cruentum prælium ab initio ancepsque mars fuit: obstinatis inde animis aliquandiu dimicatum: demum victa Græcorum pertinacia, Theodorani intra mœnia cum ingenti cæde compulsi sunt. Interim Veneta classis portum nititur occupare. Sed hic quoque in catena, quæ ad illius fauces objecta erat, perumpenda biduo laboratum: fuitque certamen illud eo Venetis difficilius, quo validius præsidium portus habuit, quam sinus, de quo proxime diximus, habuisset. Viginti triremes illius angustias infederant: quæ se catena, velut obice quadam, hostibus objecta, tutissima statione tuebantur: nec tutum erat cuiquam munitionem tentare, ob vim telorum ingentem, quæ propinquiore loco in adeuntes mitebatur. Vicit tamen Venetorum virtus: nanque & hac quoque diffracta, impetu in hostes facto, momento temporis portus occupatus est. Triremes & ipsæ, sub primam eruptionem, ab Alexianis relictæ, in Venetorum potestatem venerunt. Secundum hanc victoriam placuit, undique armis operibusque urbem perpetua aggredi oppugnatione: partitque inter se munera, Veneti vineas aliaque bellica opera, qua urbs portum spectabat, in hostes erexere: inde binis navium malis superne ad caveas ligatis pontes impositi: unde (quia sua altitudine murorum fastigia superabant) ingens vis telorum a nostris in Græcos coniecta est. Quin etiam ignis in proxima ædificia e navibus coniectus, fomenta primo, inde aridam materiam nactus, adeo ingens excitavit incendium, ut eo territi propugnatores, crebrisque insuper vulneribus afflicti, muros ea parte nudos reliquerint: quos Venetus, admotis scalis, repente occupat. Ad eum tumultum excitatus Alexius, cum triginta hominum millibus, quos in hos casus paratos habuisse dicitur, subito accurrit, aciemque primo in Venetos explicare velle visus est: quod Græco astu ferunt ab eo factum, quasi nihil minus quam fugam meditari videretur: interim vero (quia non solum ea parte, sed a continen-